DE
DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS BIBERGEIL
INOWRACLAWIENSIS.

OPPONENTIBUS:
S. OPPLER, MED. ET CHIR. DR.
J. GERSON, MED. ET CHIR. DD.
S. LUBARSCH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS ET DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS,

FRATRI CARISSIMO

ISIDORO BIBERGEIL,

NEC NON

COGNATIS SUIS,

SUMME DE SE MERITIS

H. ET D. GOLDSCHMIDT

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Quum antiquus sit mos, ut, qui Doctoris gradum rite assequi velit, dissertationem scribat, diu cogitavi mecum, quamnam eligerem materiem ex tanta morborum copia, ita ut quasi propter arborum copiam silvam invenire non possem. Namque quis poscat a tirone, ut aliquid novi inveniat in arte, quam, ut ita dicam, vixdum intrabat, inventumque doctissimorum virorum judicio subjiciat? Optimum igitur mihi videbatur, morbum non ita frequentem, cujus observandi facultas mihi dabatur, describere, et cum diabetem mellitum in nosocomio caritatis per plures hebdomades apud feminam, eundemque morbum apud virum observandi occasio mihi daretur, consilium cepi, hujusce morbi causas remotas et proximas, itemque curam quam diligentissime describendi. — Vos autem, L. B., peto, si quid vestrae exspectationi non respondeat, ne severi sitis judices, cogitantes, me in arte, a doctissimis viris exculta, adhuc esse tironem.

Diabetes mellitus (polyurisis, urorrhoea, diarrhoea urinosa, phthisurie, dipsacus etc.) ille est morbus, in quo urinam et quantitate et qualitate mutatam, praeterea totius corporis maciem invenimus. —

Jam Hippocrates hujus morbi facit mentionem, dicens: οὖρα ἐξαίφνης παραλόγως ἐπ' ὀλίγον πεπαινομένα, φλαῦρα. — πονηρὸν δὲ καὶ τὸ μετὰ ποτὸν ταχέως διουροῦσμενον κ. τ. λ. κωακ. προγνωσ. V. 22 vel No. 579. —

Celsus [1]) nominat diabetem morbum, in quo magna urinae copia mingatur, cum corporis tabe conjunctum.

Aretaeus [2]) habuit diabetem colliquationem σύντηξιν τῶν σαρκῶν καὶ μυέων. —

Galenus [3]) dicit, diabetem esse morbum renum, qui efficiat, ut potus, propter sitim insatiabilem sumtus, immutatus loco urinae ex systemate uropoëtico emittatur. Hunc auctorem sequuntur: Aëtius, Tralles, Paul. Aeginetus e. a.

Brendels [4]) hancce dat descriptionem diabetis: „Diabetes est profluvium urinae crebrum, immodicum, primo urinae aquosae, paulatim chylosae et subpinguis, initio ibidem cum aliqua stranguria, deinde fere sensu creberrime elabentis, cum febre lenta, consumptione corporis ejusque extremo tandem marcore, ceterum cum siti immodica et aliis con-

---

1) De medicina Lib. IV. cap. 20.
2) Diuturn. II. 2.
3) De locis affect. L. VI. C. III.
4) Praelect. citatar. tom. II. (part. III. cap. 38. §. 1.) pagn. 398.

junctae febris longae circa vesperam plerumque exacerbari solitae symptomatibus." —

Borsieri [1]) definit diabetem morbum vires consumentem, corpus debilitantem, conjunctumque cum inexplebili siti et magno urinae profluvio.

P. Frank [2]) hanc dat definitionem: „est autem diabetes vera corporis per urinam colliquatio aut lotii profluvium, vel potum longe superante ut plurimum, vel principii saccharini admiscione excedens cum siti inexplebili, cute arida et squamosa et macie extrema, sine febre in longum plerumque incedens."

Praeterea multi alii medici hujus morbi exempla conspexerunt, sed definitiones, ab his viris de diabete datae, cognitioque, quam de eo habebant, non tam erant accuratae quam nostris temporibus. Habuerunt enim plerumque omnes diabetem morbum, in quo aegrotus praeter naturae leges tantam lotii copiam emittere cogatur, ut copia potus longe superetur; natura ipsa urinae diabeticae veteres omnino latebat.

Thomas Willis [3]) primus animadvertit qualitatis mutationem in urina diabetica, penuriam ammonii saliumque phosphoricorum. Caret hoc lotium salso gustu, odore urinae proprio, praebet contra odorem dulcem, sacchari mellisque similem. Ad ignem haec urina va-

---

1) Institut. citat. vol. IV. part. II. §. 202. pag. 488.
2) Epitom. citat. lib. V. pars I. §. 478. pag. 39.
3) Pharmaceut. ration. sect. IV. c. III. p. 207.

porem exhalat suavem, et ad certam redacta spissitudinem massam relinquit sacchari aut mellis colore, odore gustuque haud dissimilem. Interdum substantia saccharina non parvi est momenti, namque libra una urinae saepe drachmam sacchari, auctore Schoenleinio, continet. Urina diabetica cum spiritu vini tractata, dulcem sacchari similem praebet substantiam, quae in carbonibus vivis imposita, odorem exhalat suavem. Color urinae plerumque pallidus, subalbidus; urina reservata mox in fermentationem transit. Quod ad copiam urinae, quae quotidie a diabeticis emittitur, attinet, auctores valde inter sese discrepant. P. Frank narrat, se apud virum, in clinicum susceptum, urinam quotidie ad libras quadraginta, vel et semel quinquaginta duas invenisse. Alii auctores vel majorem lotii quantitatem in hoc morbo excerni viderunt, alii minorem. Morgagni [1]) observavit aegrotam, quae quotidie quadraginta duas, et per nonaginta tres dies, tamdiu enim morbo laborabat, tria millia sexcentas septuaginta quatuor libras mingebat, quamquam aegrota aversionem potus habebat. Nonna Livizani, quae nonaginta septem dies diabete mellito aegrotabat, quovis die quadraginta tres, in universum igitur quatuor millia, centum septuaginta libras urinae emisit. Multi tamen auctores minorem in suis aegrotis animadverterunt copiam urinae emissae. Sunt exempla aegrotorum, diabete mel-

---

1) De sedibus et caus. morbi epist. X. lib. I — VI.

lito laborantium, in quibus urina quotidie abiens nihilo aut parum tantum a potus quantitate assumti differebat. Berndt [1]) contendit, proportionem rerum sumtarum et excretarum in omnibus, quos observandi sibi occasio facta esset, aegrotis, non valde mutatam, sed plerumque aequam fuisse.

Diabetes haud frequens est morbus. Peter Frank narrat, se in Germania per viginti annos tria tantum exempla vidisse. In aliis terris diabetes tam rarus morbus non esse videtur. Idem auctor in Italia intra octo annos septies hunc morbum conspexit. Moyses Maimonides ait, nec se in oriente unquam observasse diabeticum, nec ex aliis comperisse hujus morbi exemplum, quod in illa terra se contulerit; in Aegypto autem saepissime diabeticos sibi oblatos esse. Ita diabetes in Anglia, in superiori Italiae parte, in Italia cisalpina multo crebrius animadvertitur, quam in Francogallia et Hispania.

Diabetes a plurimis auctoribus in varias distinguitur species, quarum praecipue duae memoria mihi dignae videntur: diabetes mellitus, ubi simul cum quantitate adaucta etiam illa substantia saccharina in lotio invenitur, et diabetes insipidus, ubi aegrotus magnam quidem urinae quantitatem mingit, sed saccharina materia omnino carentem. Multi auctores, diabetem insipidum eundem esse morbum

---

1) Encyclopaedisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften Bd. 9. S. 313.

atque mellitum putant, sed tempore et progressu tantum distinctum, ita ut diabetes insipidus initium morbi nobis occurrat, qui negligentia vel medici vel aegroti facile in diabetem mellitum, illum multo periculosiorem morbum transire possit.

Odoardus Baryus [1]) diabetem in quatuor species distinguit. Primam confert cum diarrhoea, et dicit: chylum in ea immutatum per renes excerni; secundam repetit ex tubulis renalibus dilatatis ex compressione eorum aliquot ob calculos, unde reliqui dilatentur oportet; tertiam a sanguinis colliquatione ex vitiata bilis natura; quarta species est nervosa et convulsiva.

Nonnulli medici etiam diabetem idiopathicum, symptomaticum, spurium, hystericum, rheumaticum distinguunt.

Apud alios invenimus distinctionem diabetis acuti, qui brevi tempore lethalem adducit exitum, periodici et critici.

Diabetem cum variis morbis, cum urinae incontinentia, diarrhoea, ascite, multi observaverunt medici [2]). Interdum urinae multitudo non valde aut nihilo adaucta est, sed dulcem illam materiam simul cum corporis macie animadvertimus. Hoc genus diabetis auctores nominaverunt diabetem decipientem.

---

1) A treatise on the three different digestion etc. London 1759 sect. III. cap. 3.

2) P. Frank L. V. p. 1. §. 479.

SYMPTOMATA.

Primum, quod nobis in diabeticis occurrit symptoma est raucitas siccitasque quaedam in ore et fauce, quae interdum tantae existunt, ut aegrotus poculum seponere non possit. Inexplebilis sitis diabeticum cruciat, nec die nec noctu apparet quies, quasi si flamma semper semperque intus flagret, quae mitigari lenirique non possit. Saepe morbus hac siti immodica verbisque non describenda incipit, nonnunquam illius in fauce siccitatis causa est liquoris inopia, per jacturam inauditae urinae copiae adducta. Lingua alba, gingivae tumidae, rubrae; cutis arida, dura, rigida, saepe calida. Veneris desiderium nullum. **Reil** enarrat, virum, qui antea quinquies nocte cum uxore coivisset, hanc facultatem plane amisisse. Idem auctor observavit dulcedinem quandam odoris totius corporis praecipue in spiritu. Saepe adest phimosis. Vox mutatur, fit rauca et tenuis, quod et siccitate faucium et ex morbo partium genitalium causam habere potest, quum satis constet, inter systema sexuale et organa vocis consensum quendam adesse. Quum per urinam praecipue diabetici veri alimentum corpori subtrahatur, macies ingens mox sequitur, debilitas aegroti crescit, aestuatio viscerum fauciumque, item ardor stomachi augentur. Interdum dolor in pedibus animadvertitur. Femina illa, cujus in nosocomio caritatis observandae mihi facultas dabatur, magnam assecuta est maciem, oculi

erant in orbitam retracti, ossa zygomatica prominebant, et quamvis aegrota alimenta acciperet optima et copiosissima, macies tamen et debilitas in diem creverunt, quae et propterea augebantur, quod haec femina ob desiderium paene perpetuum urinae emittendae nec die nec noctu ullam fere quietem somni capiendi habebat. Vox ejus tam erat tenuis, ut, qui paucos tantum gressus abesset, nihil ex ea intelligeret. Alterius aegroti, quem in Policlinico, cui Illustriss. Hufeland, Ill. Osann et Busse praesunt, vidi, macies nondum ad magnum pervenit gradum, lingua erat immutata, ut in principio morbi esse solet, siccitas tamen faucium et rubor tumorque gingivae non defuerunt.

EXITUS MORBI.

Raro diabeticus verus, si longum jam tempus laborat, ad sanitatem reduci potest. Plerumque corpus magis magisque marcescit, et vires diminuuntur prosternunturque; sequuntur febris hectica, diarrhoea colliquativa, deliria, spasmi, saepe etiam hydrops, ascites, anasarca et mors.

CADAVERUM SECTIONES.

Sectiones cadaverum aut nullas aut diversas praebuerunt viscerum mutationes, alii medici (Haase) se parum aut nihil in cadaveribus invenisse, contenderunt, alii contra, se

morbos viscerum praecipue renum vidisse ajunt. Ambitum renum, mox utriusque mox alterius solum valde fuisse mutatum, nunc minorem [1]) nunc multo majorem quam in homine sano. Substantiam renum nonnulli inflammatam, mollem, flaccidam repererunt, [2]), aliis renes materiis calculosis apparuerunt referti [3]). Baillou [4]) invenit renem sinistrum valde amplificatum, calculum et pus continentem, renem autem dextrum tam parvum, ut eum vix reperire posset. In alius utroque rene cadaveris idem auctor magnos vidit calculos. Paaw [5]) contendit, se renes puellae, jam nonnullos annos diabete mellito laborantis valde molles et colore solito alienatos vidisse. Morgagni [6]) invenit prostatam induratam et solito majorem. P. Frank [7]), in renes juvenis, diabete mellito defuncti, injectiones facere voluit, sed laceratio vasorum periculum finivit, quod scilicet, ut verbis auctoris utar, morbi magis effectus quam causa morbi esse, potuit. Marshal [8]) invenit sanguinem colore similem socolatae, odoreque acido, in vena subclavia sinistra chylus fuit a sanguine segregatus. Mends [9]) contendit,

---

1) Thomas cf. Rollo l. c. pag. 400.
2) Cleghorn cf. Rollo L. c., pag. 290.
3) Reil l. c. pag. 484.
4) Ephemerid. et epidem. lib. II. pag. 152. item in Bonnet sepulchret. lib. III. sect. 29. obs. 2. 3.
5) Observ. anat. citat II. 4.
4) De causis et sedibus morborum.
7) Epitom. citat. Lib. V. §. 48. pag. 50.
8) Cf. Rollo. l. c. pag. 382.
9) Knebel l. c. Bd. II. pag. 88. sqq.

se hepar vidisse quasi steatomate corruptum, quod cum semper invenisset, causam morbi in hepate positam esse putat. Ruysch [1]) duas observationes tradit sectionum, in quibus renes abnormis reperiebantur conditionis. Vir quidam, optima aetate gavisus, postquam diu lithiasi laboravit, diabeticus factus est. In cadavere ejus viscera omnia fuerunt sana praeter renes, qui uterque, praecipue autem dexter paene consumti apparuerunt.

Home [2]) invenit renem sinistrum multo majorem solito, substantiamque ejus molliorem; in rene autem dextro praeter aliquam mollitiem nihil, quod majoris haberet momenti. In utroque rene olfactum acidum animadvertit, omnes glandulas meseraicas deprehendit amplificatas. Home putavit, dulcedinem urinae, aegroto vivo, in renibus affuisse, sed post mortem urinam dulcem gustum amisisse.

Cawley [3]) haec tradidit momenta in cadaveris sectione inventa: renes vulgarem habuerunt magnitudinem, sed pallidiores et molliores quam in homine sano esse videbantur. Hepar invenit hic medicus tabe quasi minutum et elasticum, tumoris oedematosi simile. Pancreas invenit plenum parvorum lapidum, qui firme in substantia pancreatica haerebant.

---

1) Opera omn. tom. I. observat. censur. observ. XIII. p. 18. et dilucidat valvul. obs. XIII.

2) Klinische Versuche. S. 353 sq.

3) Sammlung — für practische Aerzte, Bd. XIII. S. 115 sq.

Glandulae meseraicae durae esse videbantur et scirrhosae.

Si contemplamur omnia, quae in sectionibus hominum diabete defunctorum, et a me supra enumerata, et alia, quae ut referam locus non permittit, concedendum nobis esse videtur, in renibus, quamquam non unicam, attamen certe maxime praecipuam inesse diabetis causam. Namque omnes fere auctores, qui cadavera diabete defunctorum accuratius perscrutabantur, renes plus minusve aegrotos invenerunt, et quid verisimilius esse potest, quam ut illud organum laborare debeat, ex cujus functione laesa morbosa illa signa appareant. Quod autem attinet ad saccharinam substantiam, quae in diabeticorum urina persaepe invenitur, cum Illust. Hufeland causam proximam pono in singulari propriaque functionum renum alienatione, per quam ex chylo saccharum, aliis urinae substantiis cedentibus, renibus adducatur.

DIAGNOSIS.

Diagnosis hujus morbi non tantas nobis praebet difficultates, quantas causae et cura. Symptomata enim tam sunt manifesta et perspicua, ut diabetes vix cum alio morbo mutari possit. Nihilominus tamen interdum diabetes a nonnullis pro tabe est habitus, sed vix egeat accuratiori observatione, ut veram morbi naturam intelligamus, copia urinae quotidie abeuntis errorem nobis mox ostendet.

Videmus quidem in aliis quoque morbis nonnunquam urinam auctam, sic viri hypochondriaci, feminae hystericae per nonnullos dies interdum magnam urinae quantitatem mingunt, sed post paucos dies urinae quantitas ad normam redit, quod in diabeticis nunquam contingit. Haud raro etiam urina aucta apparet crisis in hydrope, sed et haec, ut ita dicam, polyuresis mox cedit, et vix mutatio utriusque morbi, hydropis et diabetis, potest cogitari.

Si copia urinae in aegroto aucta et alienata, si macies animadvertitur, si aegrotus raucitatem siccitatemque in ore ac fauce sentit, si fames insatiabilis et bibendi cupiditas immodica apparent; quis dubitet, quin hicce aegrotus diabete laboret mellito?

AETIOLOGIA.

De hujus morbi causis praedisponentibus multas quidem possidemus illustrissimorum virorum opiniones, nulla tamen tam perspicua est, ex qua omnia phaenomena possimus explicare. Certam corporis constitutionem, quam nonnulli censebant, ad diabetem provocandum esse necessariam, verisimile non videtur, quum in hominibus, corporis constitutione plane diversis, cum robustis tum invalidis debilibusque hic morbus animadverteretur. Auctoribus Schoenleinio et aliis, genus virile propensius ad diabetem invenitur. Schoenleinius, se nunquam in femina hunc

morbum vidisse, et omnia illa diabetum in feminis observatorum exempla in errore posita esse, contendit, cui autem assentire non possum, cum in nosocomio caritatis exquisitum et manifestissimum diabeticae exemplum viderem. Sicuti nec corporis constitutio certa, nec genus certum ad hunc morbum inclinant, sic etiam in aetate diversa diabetes observatur. Plerumque quidem ab anno trigesimo usque ad quinquagesimum annum morbus animadversus est, sed puerilis etiam aetas et senilis non libera a diabete est inventa. Aëris constitutio magnam quidem vim ad diabetem constituendum exercet, cum, ut supra dixi, in aliis terris hic morbus perraro, aliis saepe animadvertatur; sed hac de causa nihil certi adhuc scimus. Morbus arthriticus, haemorrhoidarius, morbi organici cerebri, medullae oblongatae, abdominis, praecipue infarcti, helminthiasis connexum quendam cum nostro morbo habere videntur. Quin onania excessusque in Venere et causa praedisponens et occasionalis fieri possit, quis neget?

Ex multis hypothesibus, quae a clarissimis viris in medium prolatae sunt, nonnullas tantum afferam [1]).

Rollo [2]) dicit: diabetem esse morbosam quasi ventriculi actionem, ex qua succus ventriculi augeatur et corrumpatur. Materiam

---

1) Copiosius de hac re agit Knebel, Bd. I. Abth. 2, pag. 98 – 210.

2) J. Rollo cases of the Diabetes mellitus.

saccharinam succi lactei, quae, sano corpore, ad corpus alendum immutetur et abalienetur, hic manere incolumem, et substantiam alienam corpore cum urina excerni; auctam autem urinae copiam ex nimia ventriculi oriri affectione, quae in renes transeat.

P. Frank [1]) inter diabetem et rabiem caninam assumit analogiam quandam, putans, venenum animale, aptis convenientibus causis, oriri, quod per nervos in systema lymphaticum mox agatur, tum resorbeatur, ducaturque in cavum stomachi, qui, hoc modo corruptus, officium suum praestare non possit. Ita sitis, fames morbosa, siccitas faucis, transitus chyli vix subacti ad secundas vias, resorbtio aucta directioque liquidi ingesti ad renes adducantur.

Creuzwieser, qui diabetem spasticum et torpidum differt, alterum in aucta renum irritatione, alterum in eorum relaxatione positum esse contendit. Diabetem autem ipsum habet tabem renalem lymphaticam, tabis pituitosae haud dissimilem. Omnia, quae renes irritare, affluxumque liquoris ad eos augere possint, copiosiorem efficiant urinae secretionem, et quum res ad vitam servandam necessariae partim ad renes perducantur, partim, quominus in chylum transeant, impediantur, alimentatio corporis minuatur. Hoc modo Creuzwieser saccharinam illam substantiam, maciem et febrem hecticam explicat.

---

1) De curandis hominum morbis Lib. V. Pars I. pag. 54.

De illustriss. **Hufelandii** hypothesi, cui, ut supra dixi, assentio, locutus sum pag. 17.

Quod autem attinet ad causas hujus morbi occasionales, tanta earum copia ab auctoribus affertur, ut dissertationem cum his solis explere possim. Itaque haudquaquam omnes enumerabo, sed illas tantum, quae mihi graviores esse videntur. A plurimis medicis, qui diabetem observabant, cerevisiae magna adscribitur culpa, quamobrem. **Nasse** dicit, diabetem in Anglia ideo saepius inveniri, quam in Gallia aliisque terris, quod ibi potus cerevisiae immodicus sit. Idem auctor hoc argumento utitur, quod mares, qui plerumque magis indulgeant cerevisiae, saepius diabete laborent, quam feminae. — Etiam **Marshal** causam hujus morbi occasionalem cerevisiae adscribit. In actis medic. Berolinens. legimus, virum, quinquaginta annos natum, potu cerevisiae Fredersdorfiensi immodico factum esse diabeticum. Sunt alimenta varia, quae jam in homine sano auctam urinae secretionem efficiant, exempli gratia apium petroselinum et graveolens, cochlearia armoracea, allium sativum, allium schoenoprasum (Schnittlauch), cucumis, humulus lupulus (Hopfen); solanum tuberosum, raphanus sativus, asparagus, thea, coffea, e. m. a.

Boerhave [1]) narrat, juvenem, qui, ut noctu somnum ex oculis pelleret, theam cof-

1) Praelection. academ. in propr. instit. rei medic. ed. **Haler.** Tom. VI. p. 213. §. 834.

feamque saepe biberit, in diabetem incidisse.

Vir quidam, qui lithiasi laborabat, amici consilio quotidie tres baccas juniperi sumsit. Lithiasi liberatus, baccarum dosin, ut impediret, quominus lithiasis rediret, auxit, ita ut postea quotidie tot baccas devoraret, quot manu capere posset. Diabeticus factus est [1]). Miles, gonorrhoea laborans, syrupo quodam e decocto balsami copaiv. usus est. Catarrhum, qui mox militem reliquit, diabetes secutus est.

Paulini [2]) observavit diabetem post copiosam sumtae asparagi officinalis quantitatem.

Rollo [3]) narrat, se cognovisse virum, qui magna sacchari copia fructus, diabeticus factus sit.

Tulp [4]) tradit, juvenem, qui puer lithotomiam perpessus, ne iterum lapis oriretur, multis diureticis usum fuisse, praecipue vino malvasiensi cum seminibus urticae. Juvenis hic in lethalem incidit diabetem.

Buchwald [5]) observavit virum, quadraginta sex annos natum, qui ex usu interno balsam. therebinth.; et alium juvenem virum, qui ex usu olei succini diabetici sunt facti.

Alia causa occasionaiis in onania, excessu

---

1) Act. natur. curiosor. Vol. X. obs. 52.
2) Descript. nuc. moschat. p. 619.
3) De diabet. mellit. Vol. II. p. 50.
4) Observat. medicinal. Lib. II. cap. 46.
5) Dissert. cit. ap. Haller. dissert. pract. tom VII. p. 768. §. 9.

in venere, atque in omnibus morbis; qui turbent et debilitent organa genitalia et uropoëtica est quaerenda.

Vehementes animi affectiones a plurimis auctoribus causa occasionalis habentur:

Triumphius [1]) duas feminas diabeticas observavit, quarum altera ira, altera timore diabetem sibi contraxerunt.

Trincavella [2]) narrat, diabetem sibi occurrisse, qui vihementes animi affectiones sequeretur.

Quod nonnulli medici contendunt, diabetem esse morbum contagiosum, adhuc nondum satis constat, cum nimis pauca diabetum ex contagione ortorum exempla observarentur. Reil [3]) mentionem facit feminae juvenilis et sanae, quae cum marito diabetico primo morbi tempore in eodem lecto dormiverit, et diabetica facta sit. Remediis tamen hanc feminam ab hoc morbo sanatam esse, dicit.

Veteres medici, Aëtius, Aretaeus [4]) putaverunt, ex morsu serpentis cujusdam, nomine Dipsas, venenoso, diabetem oriri posse.

Creuzwieser [5]) negat miasma diabetis, dicit enim: „quominus vero miasma specificum assumamus, quod violentum potus desiderium

---

1) Commerc. noric. tom. X. ann. 1740. p. 92. seq.

2) De ration. curand. particular. corpor. human. affection. Lib. X. cap. 11.

3) Fieberlehre Vol. II. p. 538.

4) Tetrabibl. IV. sermon I. cap 22.

5) Dissertat. inaugur. medic. de cognoscendo et curando diabete. praes. Meckel; def. Carol. Creuzwieser. Halae 1794. 8. p. 34. §. 19.

in hoc morbo occurrens producat, impedit nos, praeter alia argumenta, secunda morbi species, quae a torpore potius, quam a stimulo miasmatis specifici originem ducere videtur. Deinde vero minime necessarium esse tale miasma arbitramur, ut inde morbi hujus symptomata explicentur. Nonne enim irritatio ipsa, a quavis causa occasionali producta, sufficit? Quid quod nullo modo subitaneus ortus hujus affectus in variis morbis, toto coelo saepius differentibus, inde explicari possit, curandi quoque methodus ne ullum quidem lucis vestigium inde adipiscatur.

In febribus diabetem aut symptoma comitans et malignum, aut criticum et benignum a multis medicis observatum esse dicunt; sed valde est dubitandum, et fines diabetis nimis mihi videntur amplificati, ita ut non dubitem, quin multi ibi diabetem videre putaverint, ubi urina aucta animadvertebatur, quam haud raro sub finem morborum acutorum atque in morbis exanthematicis contingere, quis neget?

Sic Knebel [1]) narrat, feminam, quinquaginta annos natam, quae post febrem inflammatoriam omnia quae sumsisset, et medicamenta et alimenta vomitu reddidisset, per octo dies magnam urinae aquosae copiam minxisse; et virum quinquaginta annorum, qui morbo nigro Hippocratis laboravisset, quinta hu-

---

1) Materialien zur theoret. und pract. Heilk. Bd. 1, erste Hälfte S. 44. fg. §. 124.

jus morbi hebdomade magnam urinae quantitatem emisisse. Attamen Knebel utrumque morbum diabetes non habet.

Buchwald [2]) jure dicit: polyuresin hanc symptomaticam, quae aut simul cum eo morbo, cujus appareat symptoma, sponte desinat, aut paucis medicamentis possit curari, mutandam non esse cum vero diabete.

PROGNOSIS.

In diabete prognosis valde dubia vulgo est habenda. Paucissima tantum exempla sunt relata, ubi diabetici veri ad sanitatem perfectam sint perducti. Haud raro fit, ut post reconvalescentiam nonnullarum hebdomadum vel mensium morbus denuo redeat. Diabetes insipidus a multis medicis sanabatur; sed etiam in hoc minus periculoso morbo saepe factum est, ut malum recrudesceret iterum. — Prognosis tamen est modificanda primum ex stadio morbi, cum hic, quamdiu nondum ad formandam illam substantiam saccharinam perventum est, sanatio saepe adduceretur; sin vero sacchari materia in lotio semel inest, morbus plerumque insanabilis ab illustrissimis medicis est repertus. Deinde prognosis dependet a multitudine et urinae ipsius et saccharinae substantiae; si corporis macies non rapido cursu crescit, si vires aegroti non eva-

---

2) Dissert. de diabetis curatione cum primis per rhabarbarum. Hafn. 1733. ap. Haller. dissert. practc. Tom. VII. p. 763. §. 3.

nescunt, spes non plane abest morbi removendi. Ex aetate nihilominus prognosis est modificanda. In senibus multo crebrius et verisimilius diabetes exitum habet lethalem, quam in juvenibus, qui nec excessibus in venere nec in baccho sunt enervati et viribus exhausti. Quo prius aegrotus, morbo cognito, sese medico curae tradit, quo accuratius omnibus satisfacit jussibus, omnia evitans, quae sibi noxia fieri possint, eo magis auxilium est exspectandum. Commemorandum mihi hoc loco etiam est, saepe a medicis esse observatum, sub morbi finem, cum mors jam, ut ita dicam, haud procul a limine aberat, in diabete mellito copiam saccharinae materiae minutam, sicuti in diabete insipido urinae quantitatem multo minorem factam esse, quam rem facile et medicus et aegrotus signum faustum habere possent; sed causa hujus fallacis reconvalescentiae in totius corporis colliquatione, in excretionibus aliis, ut in ascitide est quaerenda.

CURA.

Ex variis, nonnunquam contrariis plane remediis, quae secundum hypothesium varietates a medicis sunt adhibita, intelligas licet inertiam nostram contra hunc periculosissimum et pernitiosissimum morbum. Alii auctores medicamenta probant et commendant, quae ab aliis repudiantur, et sine effectu quodam inveniantur, ita ut, quamdiu causae essentiales morbi nos latent, cura etiam valde incerta et

magis empirica quam rationalis haberi possit. Cura autem rationalis imponit medico, ut causas occasionales removeat. Sed fatendum nobis est, eas aut perraro detegi, aut praetereuntes neque constantes plane cognosci non posse, et ad medicorum forum non venire. Quae cum ita sint, cura contra morbum ipsum ejusque symptomata, sese medico praestantia, nobis agenda est, quae cura pro variis medicorum de diabete ideis, nunc, ut P. Frank dicit, stimulantia, roborantia, adstringentia, nunc anodina, sedantia, nunc vero calculo adversa, vel et resolventia et stomachica et diaphoretica, vel demum antiseptica in usum vocat remedia.

Rollo hanc commendat curam: aegrotus, cui victus animalis est saluberrimus, quum vires sustineat, plusque alimenti corpori praebeat, nihil accipiat vegetabilium, quae plus minusve renes incitent, lotii igitur copiam augeant. Ut diabeticus famem leniat, saepe victus sumat. Vivendi ejus ratio sic est instituenda: mane accipiat lac cum tertia aquae calcis parte mixtum, vel infusum theae, cui vitella nonnulla ovorum aut jus carnium sunt addita. Post aliquot horas inter jentaculi tempus et coenae farcimen, ex pinguedine et cruore paratum, quod Germani nominant „Blutwurst" ei proponatur. Ad coenam denuo jus carnium detur, et caro, si fieri potest, pinguis rancidaque, nisi est ventriculo diabetici inimica. Ad vesperam aegrotus aut sicuti in prandio cibaria, aut caseum edat. Bibat au-

tem lac, aquam cum thea ex mentha piperita commixta, cui vitella ovorum cruda admisceantur. Roborans accipiat aracum, aut liquorem ex frumento factum (Branntwein) cum aqua vel lacte dilutum. Et kali sulphuricum in aquae sufficiente quantitate solutum ad bibendum detur. Si in urina aegroti, hac diaeta usi, saccharina quidem substantia diminuitur, urinae autem quantitas magna et appetitus, imo potius fames insatiabilis non desinit, hydrosulphur ammoniacale cum succo papaveris et antimonio detur, donec actio ventriculi aucta minuatur. Et digitalem purpuream, nicotianum et tincturam ammonii tartarisatam Rollo commendat. Irritantia externa in regione renum applicata laudat.

Illustr. Hufeland duas ad diabetem curandum indicationes proponit, quarum altera dynamicam quandam renum alternationem, altera secretionis mutationem efficiat. Commendat igitur remedia narcotica, praecipue opium, item omnia medicamina, quae specificam in renes efficacitatem exerceant, et diaphoretica. Ad alteri satisfaciendum indicationi laudat victum animalem, fel tauri recens, ammonium sulphuratum, et ubi vires non vetant, salubrem habet curationem per inediam, mercurium et salivationem cum illo excitatum.

Cura symptomatica, quae secundum nostram de diabete cognitionem haudquaquam est negligenda, sed accuratissime observanda,

permulta in usum vocavit et sanctionavit remedia, quorum maxime praecipua haec sunt:

Opium primum occupat gradum inter omnia, quae in nostro morbo utilia sese praebuerunt, medicamina. Coercet enim famem, sitim auctamque urinae secretionem, et praebet aegroto nonnullam recreationem. Quamquam opium, quod opus est, in magnis datur dosibus, attamen effectum narcoticum in diabete non ostendit. Interdum obstructionem alvi efficit, quae aliis medicamentis est removenda. Commendat autem in diabeticis opium Darvin (Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebr. für practische Aerzte Bd. 6. St. 2. §. 293.) — Creuzwieser (dissertatio de cognos. et curando diabete. Hal. 1794 pag. 40.). — Rollo (cases of the diabetes mellitus. Lond. 1798). — Blanc (revue médicale 1825. Mai). — Lipp (Hufeland's Journal Bd. 65. St. 1). — Cornick (Edinburg. Comment. Bd. 9. Th. 2. pag. 61). — Werner (Sammlung auserlesener Abhandlung. etc. Bd. 13. p. 517) et Bader (Erholungsstunden eines Arztes p. 37) dant opium praecipue in forma pulv. Doveri. Cornick dedit gr. XX. quotidie ad noctem, et auxit hanc dosin, ita ut post tres hebdomades gr. LXX. quotidie daret. Ad obstructionem alvi vitandam usus est rheo cum cremore tartari.

Valde emetica laudantur, et jam antiqui-

tate in hoc morbo sunt sanctionata. Richter [1]) se diabetem emeticis curasse ait.

Quin victum animalem diabetis curam adjuvet, nemo dubitare potest. Horn [2]) observavit, saccharinam substantiam brevi tempore diminutam esse in aegrotis, qui victu animali accurate utebantur.

A. Rollo commendatur liquor ammonii sulphurati, qui a Travenfeld [3]) prospero effectu est adhibitus. Alii medici noxium ex liquore ammonii sulphurati viderunt exitum. Observaverunt enim, hoc medicamento magnis dosibus dato, vertiginem, nauseam, vomitum, alvi obstructionem et accelerationem pulsus. Liquor ammonii sulphurati datur ad gr. IV—VI. largiter in aqua solutus bis aut ter quotidie.

Absorbentia, et praecipue aqua calcis et magnesia a multis commendantur medicis.

Venaesectiones in diabete jam antiquissimis medicis prospero eventu sunt factae. Recentiori tempore Watt [4]) commendat venesectionem maxime praecipuum in hoc morbo medicamentum.

Resolventia et frigida et calida laudantur. Weitsch commendat praecipue fel tauri recens. — Aloë helleboro nigro, maxime autem rheo multi medici utuntur.

Cuprum ammoniacale Frank commendat,

---

1) Medicinisch-chirurgische Bemerkungen Bd. I. p. 76.
2) Archiv für medicinische Erfahrungen Bd. 22.
3) Salzburg. medicinsch. Zeitung 1826. Bd. 3.
4) Treatise of Diabete.

dicens: ac tandem a cupro ammoniacali bis in die a grano dimidio ad granum integrum porrecto, perfectam valetudinem, quam lautior simul victus confirmavit, obtinuimus.

Ferrum a Fanero (Beiträge zur practischen und gerichtlichen Arznei No. 4.); a Frasero (glückliche Heilung einer honigartigen Harnruhr, in der Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für practische Aerzte Bd. 23. St. 4. p. 483.) laudatur — A F. Frankio et Venable ferrum phosphoricum est commendata.

Camphora saluberrimum se ostendit medicamentum. Clifton, Wintringham (Sammlung auserlesener Abhandlungen u. s. w. Bd. 16.); Fraser (ebendas. Bd. 23.); Peter Frank camphoram commendat. Schel (Edinburger Commentar übers. v. Diel Decad. III. Bd. I. pag. 70.) diabeticum restituit, hac formula usus:

℞ Gummi kino ℈jj.
Camphor. ℈jß.
Pulv. aromat. ℈j.
Flor. zinci ℈ß.
m. f. massa, divid. in XX. pil. d. II. mane et nocte.

P. Frank commendat valerianam, asam foetidam et myrrhen.

Le Fils laudat aetherum aceticum, liquorem ammonii succinatum, tincturam castorei.

Wolff (Horn's Archiv 1818 St. 3.) benignum observavit eventum, cum asa foetida, felle

tauri, ammonio pyreoleoso, oleo valerianae uteretur, et finivit curam cum china.

Tinct. cantharid. laudat **Wrisberg** (von Hoven Handb. der practischen Heilkunde Bd. 2. p. 360.); **Brisbanc** (selectes sases of the practice of med. und Sammlung auserlesener Abhandl. Bd. I. St. 2.); **Van de Haar** (Sammlung auserles. Abhandl. Bd. 8. p. 41.); **Morgans** (mechanical practice of Physik. Lond. 1715). — Multi medici alumine usi sunt. **Mead** (monita et praecepta med.); **Dover**; **R. A. Vogel**; **Thomson**; **Myers**; **Michaelis**. Hic juvenem diabeticum restituit per alumen in sero lactis solutum, bis terve in die a scrupulo ad drachmam usque dimidiam.

Catechu commendant **Bagliv** et **Schmid**; myrrhen laudat **Griffith** in hac formula:

℞ Myrrh. ʒj.
solve terendo c. aq.
alexiter simpl. ℥VIß.
add. Sal. absinth. ʒß.
Sal. mart gr. XII.
m. divid. in IV. p. aeq. S. ita porrigendum, ut totum uno die consumatur.

Vesicatoria, in regionem renum applicata, prosperum ostenderunt successum. **P. Frank** (epitom. de curand. homin. morbis) närrat, unum ex suis auditoribus emplastrum vesicans ossi sacro imposuisse, atque duos ab hoc morbo aegrotantes restituisse.

Balnea calida, etsi sola curam efficere non

possunt, attamen valde medicamenta sustentant (Myers, Cullen, Werner, Wolff, al.)

Ex oleo, quod cuti illiniverunt, nec P. Frank, nec alii urinae copiam imminui viderunt. Commendata autem sunt linimenta oleosa a Tissot. Frictiones aromaticae aridae in totum corpus a Wolffio praecipue sunt commendatae. Idem auctor strichninum nitricum in usum vocavit.

V I T A.

Ego, Henricus Bibergeil anno nostri saeculi nono a patre optimo, Arnoldo Bibergeil et matre carissima, Henriette e gente Jacob, quos adhuc vivos pio gratoque animo colo, Suecii, urbe ad Vistulam haud procul a Bromberga sita, natus, fidei veteri sum addictus. — Primis literarum rudimentis in Gymnasio Brombergensi, quod rectore Müllero floret, imbutus, Gedanum me contuli, ibique Gymnasium, cui t. t. Director Schaub praefuit, frequentavi. Testimonio maturitatis praeditus in numerum civium Universitatis Berolinensis a Rectore t. t. magnif. Marheineke et Decano facultatis medicae Beato Rudolpho ante quatuor abhinc annos sum receptus. Praelectionum vero, quibus interfui et interero hic est ordo:

Anatomiam corporis humani, organorum sensuum foetusque humani, encyclopaediam et methodologiam apud Beat. Rudolphi audivi. Osteologiam et syndesmologiam Ill. Schlemm tradentem audivi. Artem cadaverum dissecandorum me docuerunt Ill. Müller et Ill. Schlemm. Physiologiam audivi apud Ill. Schultz; logicen apud

Ill. Ritter; botanicen apud Ill. Link; physicen apud Beat. Hermbstaedt; mineralogiam apud Ill. Weiss; chemiam et zoochemiam apud Ill. Mitscherlich; de zoologia audivi Cel. Wiegmann; de pathologia generali Cel. Eck; de pathologia, therapia et generali et speciali audivi Ill. Wagner; de materia medica Ill. Osann, de morbis mentis Ill. Horn; de chirurgia Cel. Ascherson; de formulis medicis concinnandis Cel. Casper; de akiurgia Cel. Froriep; de arte obstetricia cum theoretica tum practica Ill. Kluge; de Hippocratis aphorismis audivi Ill. Bartels.

Praeterea frequentavi et frequentabo scholas clinicas virorum Cel. Barez; Ill. Busch; Ill. Bartels; Ill. Hufeland et Ill. Osann; Ill. Jüngken; Ill. Rust; Cel. Trüstedt; Cel. Wolff. Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis, summas usque ad vitae finem gratias agam. —

Tentaminibus autem, tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Sunt certa graviditatis signa.
2. In morbis cognoscendis pulsus est gravissimi momenti.
3. In morbis curandis diaeta res est maximi momenti.
4. Medicus minister est naturae non gubernator.